AUTHOR:

JORDAN, KARL ADOLPH

TITLE:

QUAESTIONUM TULLIANARUM ...

PLACE:

SOEST

DATE:

[1864]

Master Negative #

93-81235-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Jordan, Karl Adolph, 1808-1874.
...Quaestionum Tullianarum particula, scr. C. A. Jordan. Soest, Nasse, [1864]
14 p. 28 cm.

At head of title: Jahresbericht über das Archigymnasium zu Soest am schlusse des schuljahrs von Ostern 1863 bis dahin 1864...

Re


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13.5X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 4-23-93 INITIALS MY
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT



AIIM

Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202







Centimeter



Inches









Jahresbericht

über das

Archigymnasium zu Soest

am Schlusse des Schuljahrs

von Ostern 1863 bis dahin 1864.

Von

dem Director des Gymnasiums
Professor Dr. Jordan.

Voran geht

Quaestionum Tullianarum Particula.

Scr. C. A. Jordan.

Soest.
Nasse'sche Buchdruckerei.

Codicis Vaticani fides et auctoritas cum in ceteris orationibus Tullianis sit tanta, ut vix ullus par ei habendus sit, tum in Philippicis longe omnibus praestat. At ne is quidem additamentis librariorum ita liber est, ut non aliquoties verba ab eis adiecta delenda esse videantur. Quo in genere primum illud affero, quod in prima oratione §. 6 legitur: Veterani, *qui appellabantur*, quibus hic ordo diligentissime caverat, — ad spem novarum rerum incitabantur. Codices deteriores habent: qui appellantur. Utraque scriptura cum idoneum explicatum non habeat, — nam quae interpretes usque ad Halmium in editione prima ad horum verborum sententiam explicandam attulerunt, parum accommodata esse in aperto est, — percommode accidit, quod apud Arusianum p. 243. L. duo haec verba non leguntur. Itaque Halmius, quocum nostram hanc suspicionem per litteras communicaveramus, in editione altera (1858) verba illa a Cicerone aliena recte exterminavit. — Eadem in oratione §. 18 haec verba leguntur: Sed haec ipsa concedo, quibusdam etiam in rebus coniveo: in maximis vero rebus, *id est legibus*, acta Caesaris dissolvi ferendum non puto. Verba id est legibus a librario addita esse suspicor; nam rerum ac verborum ratio h. l. tam aperta ac perspicua est, ut eiusmodi additamento non solum opus non sit, sed etiam oppositionis ratio ac concinnitas mirum quantum eo imminuatur. Accedit, quod Cicero, si ipse haec verba addidisset, ut paulo ante factum est, (Pompeii tertius consulatus *in* quibus actis consistit? nempe *in* legibus) praepositionem in adiecisset.

Adde locum, qui legitur in oratione III, 11, 29: Multa quae in libera civitate ferenda non essent, tulimus et perpessi sumus, alii spe forsitan reciperandae libertatis, alii vivendi nimia cupiditate: sed, si illa tulimus, quae nos necessitas ferre coëgit, quae vis quaedam paene fatalis, *quae tamen ipsa non*

tulimus: etiamne huius impuri latronis feremus taeterrimum crudelissimumque dominatum? Verba quae tamen ipsa non tulimus a Cicerone esse profecta vix adducor ut credam; nam si sunt Tulliana, non aliter possunt explicari, quam factum est a Manutio, qui haec adscripsit: „Jugum enim servitutis occiso tyranno deiecimus.“ At verba haec ceteris interposita expeditum orationis cursum impediunt, atque sententia ipsa iis, quae antea dicta sunt, parum videtur respondere; nam tulerunt quidem Romani dominatum Caesaris fatali quadam necessitate sibi aliquamdiu impositum, at non *per*tulerunt, dum sua morte defungeretur. Sed cum Cicero sententiarum rationem ita concludat, ut, Caesaris dominatum, viri multis virtutibus ornati, si cives Romani fatali quadam necessitate coacti pertulerint perferendumque censuerint, Antonii hominis nequissimi taeterrimum crudelissimumque dominatum ferendum esse inde non posse effici dicat: quo tandem pacto huic ratiocinationi verba illa interponere potuit, quibus omnis recta sententiarum ratio ac cohaerentia turbatur totaque conclusio iacet? Quamobrem aut Ciceronem a recta ratione ac via ipsum aberrasse statuendum est, aut verba illa sunt exterminanda. — In oratione V, 11, 28 Halmius sic scribendum censuit: Constituistis, ut haec ad vos Kalendis Januariis referrentur — de honoribus et praemiis bene de republica meritorum et merentium: quorum principem indicastis-eum, qui fuit, Caesarem, qui M. Antonii impetus nefarios ab urbe in Galliam avertit: *tum* milites veteranos, qui primi Caesarem secuti sunt, *atque* illas caelestes divinasque legiones Martiam et quartam *comprobastis*, quibus, cum consulem suum non modo reliquissent, sed bello etiam persequerentur, honores et praemia spopondistis. In codice Vaticano *tum deinde* milites sqq. et *tum atque* illas sqq. legitur, in ceteris particulae *tum* et *atque* omissae sunt; Faerno teste in Vaticano codice scriptum est comprobastis, Halmio auctore comprobatis; ceteri codices hoc verbum omittunt. Et recte quidem; nam quis tandem latine unquam dixit veteranos, legiones *comprobare* pro *collaudare* sive *factum* veteranorum, legionum *comprobare,* ut paulo post scriptum legimus? Nec vero in tanta ubertate atque copia sermonis Tulliani veri est simile idem verbum tam brevi intervallo bis esse positum; itaque a librario additum esse opinamur, qui, unde accusativi milites veteranos et illas — legiones apti essent, nesciret. Ab eodem autem librario διττογραφίας illas tum deinde et tum atque profectas esse arbitramur; nam cum verbum illud comprobastis utrique membro subiungi vellet, copulativam particulam atque pro enumerativa (sit venia verbo) tum posuit, priori loco tum suprascripsit voculae deinde.*) At eiusmodi artificio nihil opus; etenim haec est totius periodi recta ratio ac

*) Alibi quoque in codice Vaticanio eiusmodi διττογραφίαι inveniuntur, de quibus non semper satis caute videtur iudicasse Halmius. Nam quod III, 1, 1. in Vaticano scribitur postulabatvit, id inde or

conformatio: Cicero eos enumeraturus, qui de republica bene meriti honoribus et praemiis sint ornandi, *principem,* inquit, iudicastis C. Caesarem. Jam pergere debebat: *alteros* milites veteranos — *tertias* illas caelestes legiones; sed cum Cicero in enumerando numeros ordinales ita tantum usurpare soleat, si numerus partium, quae enumerantur, antea iam positus sit, cumque C. Caesarem non primum sed principem omnium appellaverit, oratione paullum immutata ad cetera membra adiungenda, ut solet, particulis deinde, tum utitur. Legiones autem Martiam et quartam non cum militibus veteranis particula atque coniungendas, sed disiungendas fuisse inde perspicitur, quod aliis quoque locis Cicero eorum facta meritaque de republica separatim explicavit et collaudavit; nam et temporibus disiuncta erant et re ipsa differebant. Cf. quae de ea re leguntur III, 2, 3—7. et 15, 38—39. IV, 2, 4—6. V, 2, 3—4. — In eadem oratione §. 31 non dubito, quin a librario adiecta sint verba praeter Galliam; nam usque ad Augusti tempora Italia eam significabat paeninsulae partem, quae Rubicone et Apennino continebatur; quae inde usque ad Alpium iuga patebat regio, Gallia Cisalpina nominabatur; Augusto demum imperante Italiae nomen latius patere coepit. Hinc manifestum est Ciceronem non potuisse scribere in Italia *praeter Galliam* tota, sed addita esse haec verba ab homine quodam rerum geographicarum non satis perito; suae enim aetatis descriptionem Italiae confundebat cum antiquae Italiae finibus. Atque altero loco, quo huius rei mentionem fecit Cicero, Galliae nulla fit exceptio, qui locus est in oratione octava §. 6: Dilectus *tota Italia* decreti sublatis vacationibus. — Simile quid accidisse VI, 3, 5. facile quis suspicetur, ubi ad nomen Rubiconis adiecta sunt verba qui est finis Galliae, quae desunt VII, 9, 26., ubi idem fere est sententiarum ac verborum ordo ac series. — Nec vero dubium esse potest, quin XIII, 14, 30. nomen Antonii a librario additum sit verbis Tullianis; eo enim vocabulo adiecto oppositionis ratio et vis turbatur et infringitur. Opponitur enim mortuus Cn. Pompeius vivo eius sectori. Quid autem opus erat addere eum esse Antonium, quem unum posse significari res ipsa ac tota loci ratio docet? Mire languet hoc additamentum. Atque in eadem oratione §. 19 nollem Halmius verba in sanctissimum adolescentem uncis inclusisset, quae verba nec

tum est, quod librarius calami errorem postulabat terminatione veriore adiuncta emendavit; postulavit autem in ceteris codicibus extat. Cf. V, 11, 30. „Serius omnino, quam decuit, ieci fundamenta reipublicae.“ Nec vero II, 18, 45., ubi confirmaviat est in Vat., debebat Halmius contra ceteros codices scribere confirmavit; nam quae ad temporum insolitam mutationem tuendam ascripsit, ea vix cuiquam probabilia videri arbitror. Etenim luce clarius apparet totam illam periodum esse tripartitam partesque eius ita pares atque ex aequo positas esse, ut nulla possit intercedere temporum diversitas. Quod cum ne Halmium quidem fugeret, maluit sententias apertissime consociatas disiungere, quam mendum illud codicis Vaticani, quod perfecto quam imperfecto tempori similius videbatur, repudiare.

librarii manum redolent et in omnibus leguntur codicibus; probabilius erat verba in eum delere, quae verba ut in vulgata, sic in plerisque codicibus non extant. Nam cum postea Antonii pueritia commemorata sit, Caesaris adolescentia ut ex adverso ponatur, recta ratio postulat. Quamquam ne necessarium quidem est verba illa delere; nam si eorum codicum, in quibus in eum diceret s. indiceret legitur, sequi velis vestigia, appositionis ratio, quae additam habet praepositionem, non prohibet, quominus in eum retineatur cf. Verr. IV. §. 61. *In* Syriam, *in* regnum patrium, profecti sunt; in Vatin. §. 10 „Ut tec*um*, *cum* homine impudentissimo conferam“; Liv. XXIV, 26. Quod *ab* se cuiquam periculum, *a* sola ac prope vidua esse? Cf. Kuehner. ad Tusc. III, 15, 33. Suepfle Pract. Anleit. z. Lat. I, § 41.

Quanto emendatiores orationes Philippicae, ex quo codex Vaticanus diligenter collatu est, in lucem prodierint, inter omnes constat; attamen restant in iis non pauci loci, qui manu emendatrice adhuc egeant, cuius generis nonnullos tractare libet. I, 9, 21. Altera promulgata lex est, ut et de vi et maiestatis damnati ad populum provocent, si velint. Haec utrum tandem lex est an legum omnium dissolutio? Quis est enim hodie, cuius intersit istam legem *manere?* Sic scribitur in Vaticano et Lagomarsiniano; ceteri codd. habent venire, quod ita ineptum est, ut mirum videri debeat fuisse, qui huius scripturae patrocinium susciperet. Orellius coniecit valere; Halmius sanciri s. haberi; ego malim scribere habere. Nam manere hic locum non habere recte iam vidit Ferrarius, quod manere legem de lata lege non de promulgata diceretur. Cf. Provv. couss. §. 46. Quare aut nobis statuendum est legem Aeliam *manere*, legem Fufiam non esse abrogatam. Nam quae Garatonius multis verbis disserit, ut manere legem h. l. idem significare doceat quod iuberi, perferri, sanciri, figi denique, ea argutius quam verius esse disputata apparet. Nostra coniectura si recipiatur, haec erit sententiarum ratio: Cum nemo sit reus legibus illis nec futurus sit, hodie nemo est, cuius intersit istam legem habere, quo, si reus factus sit, utatur ad causam suam dicendam. Itaque Cicero gratiam nullam habere dicit hanc legem neque ea lege promulgata id agi, ut quisquam provocet; id potius agi ac ferri, ne quis omnino unquam illis legibus reus fiat. — Philipp. I, 15, 38. „Cepi fructum, patres conscripti, reversionis meae, quoniam et ea dixi, ut, quicunque casus *consecutus esset*, extaret constantiae meae testimonium.“ Ita haec verba leguntur in omnibus codicibus; at non dubito, quin scribendum sit consecuturus esset, quia non praeteritum, sed futurum tempus spectat Cicero. Neque enim arbitror hunc locum in eo numero esse habendum, quos tractat Halmius ad Divinat. in Caecil. §. 44. Quod si aliquod vulgatae scripturae praesidium quaeras, confugere forsitan liceat ad ea verba, quae extant Verr. IV, §. 64. Statuerunt id secum in Syriam reportare, ut, *cum audissent* (wenn sie gehört haben würden) simulacrum

Jovis Optimi Maximi dedicatum, legatos mitterent, qui cum ceteris rebus illud quoque eximium ac pulcherrimum donum in Capitolium afferrent. — Philipp II, 8, 18. Tam autem eras excors, ut tota in oratione tua tecum ipse pugnares, *non modo* non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta atque contraria, ut non tanta mecum, quanta tibi tecum esset contentio. Sic haec verba extant in codice Vaticano; deteriores habent ut non modo; Faërnus coniecit et non modo, Halmius cum non modo. At veram atque sinceram esse Vaticani scripturam recte perspecta sententiarum ratio perspicue docet. Nam verba ut tota in oratione tecum ipse pugnares et non modo non cohaerentia inter se diceres, sed maxime disiuncta atque contraria cum non duo membra totius periodi efficiant ex aequo posita, sed posterius explicationem contineat prioris membri subiunctumque ei sit, non adiunctum, recte ante alterum hoc membrum omittitur ut particula, quae ab iis est addita, qui sententiarum rationem atque ordinem parum intelligerent. Quae autem sequuntur verba ut non tanta mecum, quanta tibi tecum esset contentio illud continent, quod ex superioribus consectarium est. — Philipp. II. 28, 68. Necesse est, quamvis sis, ut es, *violentus* et furens, cum tibi obiecta sit species singularis viri, perterritum te de somno excitari, furere etiam saepe vigilantem. Haec est scriptura codicis Vaticani, Bamberg. Bern. aliorum; codices Gud. Tegerns. alii habent vinolentus. Utriusque scripturae viri docti, qui Philippicas orationes ediderunt, susceperunt patrocinium; Halmius optimi codicis tuetur scripturam, quippe „quae magis ad furens quadrare videatur.“ Atque in editione Weidmanniana ad eam explicandam haec adscripsit: „Violentus et furens, aufgeregt und rasend, womit ein Zustand geistiger Erregtheit bezeichnet ist, der gegen jedes Gefühl, also auch gegen jede Anwandlung von Furcht abstumpft (vgl. §. 65 tantus te stupor oppressit, vel, ut verius dicam, tantus furor.). Hingegen bezeichnet furere etiam saepe vigilantem das wirkliche Irrsein in Folge der Gewissensangst, die der furor der Gesinnung doch nicht immer bewältigen kann.“ Duplex furoris genus hoc loco intelligi iam recte animadvertit Garatonius, qui „Diversum, inquit, furoris genus observa: ex vino alterum, quo mens alienatur, alterum ex viso comitibusque scelerum Furiis, quibus etiam vigilantes vexari credebant. Cf. Hor. Epod. V, 92 sqq.“ Itaque totius loci sententiam paucis sic complexus est: „Quamvis ipse per te sis propter vinolentiam furiosus, tamen Pompeii specie occurrente Furiis agitabere.“ Violentus autem nec apud Ciceronem nec usquam alibi significat, id quod Halmius vult, aufgeregt, sed eum, qui vim affert, qui nimia vi fertur (amnis violentus), qui ferox est ac vehemens, *βίαιον*. Cf. Phil. V, 7, 19 Ille homo vehemens et *violentus*. XII, 11, 26. Novi hominis *furorem*, novi effrenatam *violentiam*. VI, 3, 6. Novi *violentiam*, novi impudentiam, novi audaciam. (H. l. cod. Vat. habet: vinolentiam). VI, 2, 4. Semper eo tractus est, quo libido rapuit, quo

levitas, quo *furor, quo vinolentia* (Vat. vinulentia; aliquot codd. Ferrarii: violentia). Atque extremo hoc loco ambiguum videri potest, utra scriptura praeferenda sit, nam a furore nescio an rectius ad violentiam quam ad vinolentiam (quae ipsa causa furoris esse solet) progressus fieri videatur. Infra II, 39, 101. Quid *furiosam* tuam *vinolentiam* (Vat. vinulentiam; al. violentiam) proferam? ad Fam. XII, 25, 4. Sic sum in Antonium invectus, ut ille non ferret omnemque suum *vinolentum furorem* in me unum effunderet. de leg. agr. I, 1. Utrum esse vobis consilia siccorum an *vinolentorum* somnia, et utrum cogitata sapientium an optata *furiosorum* videntur? Orat. 28, 99. „*Furere* apud sanos et quasi inter sobrios bacchari *vinolentus* videtur“ Acad. II, 27, 88. Dormientium et *vinolentorum* et *furiosorum* visa imbecilliora esse dicebas, quam vigilantium, siccorum, sanorum Tusc. V, 41, 118. Aut fruatur aliquis pariter cum aliis voluptate potandi, aut, ne sobrius in *violentiam vinolentorum* incidat, ante abeat. Ex his quos attulimus locis, qui facile similibus augeri possunt, satis apparet et violentorum et vinolentorum esse quendam furorem, vocabula autem in codicibus non raro confundi, ut non ex sola librorum auctoritate sed etiam ex sententiarum recta ratione utrum sit verius diiudicandum videatur. Atque ea quidem hoc loco vinolentus esse legendum docet. Nam et iis, quos supra commemoravimus locis et aliis multis vinolentiam Antonii castigat, et paullo ante §. 66 sqq. domum Pompeii purissimam ac sanctissimam vinolentia atque ebrietate Antonii ac suorum foedissime esse inquinatam questus est. Domus, inquit, erat plena ebriorum: totos dies potabatur atque id locis pluribus. Tum adspicere illam domum et introire atque deversari in ea Antonium non pudere indignatur, quippe in qua nihil ei iucundum esse possit, sed omnia ita infensa atque infesta, ut, si Pompeii species ei obiecta sit, nec tranquille dormire possit nec vigilans mente consistere. Jam vero qui locus potest in hac sententiarum serie esse violentiae? cui tandem vim afferre vel in quem ferox esse atque vehemens appellari potest Antonius? quo tandem modo animus violentus Antonii dici potuit non obstare, quo minus Pompeii specie oblata perterreretur? Equidem non video. At furiosa eius vinolentia vel furor ex vino ortus, qui alias hominem ita obcaecare solet, ut nec perterreatur nocturno visu nec ex somno, quo oppressus est, facile excitetur, quamvis in te, Antoni, inquit Cicero, summus sit, ut est, tamen Pompeii, singularis viri, species vel noctu in somnis tibi oblata vel vigilanti obiecta te perterritum excitare ex somno atque etiam vigilantem in furorem agere debet. Offendit autem in verbo furendi Jeepius (Jahn. Annal. Vol. LXXXI. p. 621) coniecitque esse scribendum: *stupere* etiam saepe vigilantem. At primum quidem haec coniectura ne levissima quidem codicum auctoritate defenditur neque in optimo Vaticano nec in ceteris quidquam corrupti inest; tum vero si hoc vitium multo ante scriptum codicem Vaticanum ortum esse suspiceris, quid tandem librarium impellere potuit, ut, si scriptum inveniret

stupere, hoc verbum immutandum putaret? Accedit, quod stupendi vocabulum h. l. multo minus ad rem atque sententiam aptum est, quam furendi; nam stupere is dicitur, qui torpore quodam animi captus languet aut inopia consilii aut rei novitate vel magnitudine tarditatem iniiciente; quo fit, ut hoc verbum etiam ad admirationem eius transferatur, qui insolita rerum specie attonitus atque defixus est. (cf. Forcell. s. v.) Furere autem ii dicuntur, qui mentis suae non compotes vehementiore animi perturbatione abripiuntur caecoque impetu temere feruntur atque vecordi insania agitantur. Quodsi ea, quae inde a §. 64 Cicero de moribus atque de vita Antonii narravit, diligenter consideramus, dubium videri non potest, quin h. l. Antonius multo rectius furere vigilans, quam stupere dicatur; idque Cicero ipse testatur, qui §. 65. Tantus, inquit, te *stupor* oppressit vel, ut verius dicam, *furor.* Mirum igitur, si Cicero h. l. ad id vocabulum, quod minus vere dici professus erat, redire vellet. Quod vero Jeepius sententiam scripturae omnium codicum non constare opinatur: Necesse est, quamvis sis ... furens ... te furere, non satis animo reputavit, id quod iam Garatonius animadverterat, diversam esse utroque loco verbi furendi significationem; Antonius enim, homo vinolentus ac mentis suae non compos., specie Pompeii oblata quasi a Furiis et ex somno excitatur et vigilans saepe exagitatur.

Philipp. V, 16, 43. Magni honores habiti Cn. Pompeio, cum esset adolescens, et quidem iure: subvenit enim rei publicae, sed aetate multo robustior et militum ducem quaerentium studio *paratiore* et in alio genere belli. Sic ex coniectura edidit Halmius; cod. Vat. habet partior, ceteri paratior. Atque ad coniecturam suam firmandam Halmius usus est his verbis, quae paullo post leguntur: Caesar autem multis annis minor *veteranos cupientes iam requiescere armavit*, quae quidem ipsa ad tuendam codicum scripturam faciunt. Nam tria sunt, quae de Pompeio narrantur, quod et aetate multo robustior fuerit, et militum ducem quaerentium studio paratior, et in alio genere belli (versatus) i. e. in bello civili, in quo non omnibus causa Sullae grata fuerit. His tria ex Caesaris persona opponuntur, quod et annis multis sit minor, et veteranos iam requiescere cupientes armaverit et ad causam diis hominibusque gratam defendendam bellum gerat. Hinc apparet in altero membro utroque oppositionis rationem non tam a veteranis militibus, quam a Caesaris persona et Pompeii fuisse repetendam; unde haec oritur sententiarum oppositarum ratio: Ut Caesar veteranos quiescere cupientes, invitos ac ducem potius detrectantes quam quaerentes, armare ad bellum gerendum debuit, sic Pompeius studio militum iam armatorum et ducem quaerentium multo erat ad bellum gerendum paratior. Ablativi autem illi studio paratiore si absolute ponantur, non minus abhorrent ab latini sermonis consuetudine, quam si cum adiectivo robustior coniungantur; nam quis tandem latine dixerit robustior studio paratiore! —

Philipp. V, 4, 12. Quibus rebus tanta pecunia una in domo coacervata est,

ut si hoc genus pene in unum redigatur, non sit pecunia rei publicae defutura. Sic verba edidit Halmius, sed coniecturam Garatonii, qui, cum in codice Vaticano invenisset „unam in domo" unam in domum scribendum esse suspicatus est, probabilem censet; ipse autem pro genus pene, quod legitur in Vaticano, ingens fenus restituendum opinatur. Neutrum probo; nam quomodo tandem levissimum illud librarii peccatum unam pro una quemquam inducere potuit, ut ablativum domo, qui in omnibus codicibus incorruptus extat, immutaret in accusativum, cum apud Ciceronem ipsum in oratione p. Sext. Rosc. 46, 133 legantur haec verba: Quid praeterea caelati argenti — apud illum putatis esse? tantum scilicet, quantum e multis splendidisque familiis in turba et rapinis *coacervari una in domo potuit.* In corrupta vocula pene latere pecuniae Ursinus recte videtur coniecisse; quam coniecturam cur omnes post eum editores spreverint, equidem non intelligo. Cicero enim h. l. de omni illo genere pecuniae loquitur, quam Antonius malis artibus coacervatam libidinibus ac luxuria dissipaverat. Quae pecunia quamquam variis artibus ac fraudibus erat collecta, qua de re orator disserit §. 11. 12., tamen unum poterat dici genus; quod pecuniae genus iam diu dissipatum et exhaustum commissationibus atque donationibus, corruptionibus consumptum si denuo unum in locum congeratur, pecuniam rei publicae non defuturam Cicero dicit; supra enim (II, §. 93) iam dixerat sese vereri, ne tributa civibus Romanis solvenda essent. Halmii coniectura quid sibi velit, non satis perspicio; non magis coniecturas ab aliis propositas comprobare possum. —

Philipp. X, 1, 3. Quae est enim ista tua ratio, Calene, quae mens, ut nunquam post Kalendas Januarias idem senseris, quod is, qui te sententiam primum rogat? nunquam tam frequens senatus fuerit, *cum* unus aliquis sententiam tuam secutus sit? Vellem h. l. Faërni coniecturam recepisset Halmius; nam cum particula, quae extat in codice Vaticano aliisque, nullo quod sciam satis idoneo exemplo firmari potest. Faërnus scribendum esse coniecit quo, unde facile potuit oriri quom et, quod in aliis codicibus deterioribus legitur, quod. Recepit Faërni coniecturam Lambinus, non improbavit Garatonius, qui exempla cum particulae pronominis relativi loco positae, quae congessit Wopkensius Lect. Tull. III, 12., sibi non satisfacere fatetur. Nec mihi ita satisfaciunt, ut h. l. cum pro quo (i. e. ut eo senatu) dici potuisse existimem. Nam quod afferunt exemplum ex epistolis ad Attic. III, 3.: Utinam diem illum videam, *cum* tibi gratias agam, et quae sunt eius generis alia, ea ab hoc loco sunt aliena; nam ubi in eo substantivo, quo refertur cum particula, temporis inest significatio, recte pronominis relativi locum tenere potest; at ea significatio in senatus vocabulo non inest. Quamobrem mirum videri debet, quod Garatonius, vir linguae latinae ac Tullianae dictionis peritissimus, codicis Vaticani auctoritate ita se decipi passus est, ut „eius inspectio omnes suspiciones perimeret." Nimia est haec quaedam codicis illius admiratio, qua alii quoque aliis locis decepti sunt;

nam quamquam vetustus est ille codex et satis emendate ac diligenter scriptus, tamen levioribus mendis non caret. Quo in numero illud habendum est, quod non multo post §. 4 legitur in Vaticano teste Halmio — nam ante eum nemo quod sciam hanc scripturam e Vaticano enotavit: Alterum tua sententia spolias iis copiis, quas ipse suo labore et periculo ad rei publicae, non ad suum praesidium per se nullo adiuvante *perfecit?* Ceteri codices omnesque praeter Muretum editiones praebent confecit; et recte quidem; nam quis tandem unquam latine dixit copias perficere? Conficere exercitum, equites, milites alia eius generis dixerunt. cf. Cic. ad Att. VIII, 11, 2. de imp. Cn. Pomp. 21, 61. Caes. B. G. II, 4. VIII, 23. B. C. I, 24. Liv. XXIII. 40, 2. XXIX. 35, 10.

Ac nescio an ea ratio improbanda sit, quam nuper viri quidam docti in edendis libris Tullianis secuti sunt, ut, si formam verbi alicuius raram atque inusitatam Ciceroni, sed apud antiquiores scriptores obviam in codice aliquo invenissent, eam in verborum ordinem reciperent, nihil curantes, quod et apud Ciceronem aliosque optimos scriptores centies usitata forma invenitur nec quidquam causae est, cur uno alterove loco priscam et inusitatam illa aetate formam Cicero usurpasse putandus sit. Quo in genere pauca ex Halmiana editione Philippicarum afferam exempla: II, 18, 45. domu Vat. domo ceteri codd. quod semel praeterea ex Regio affertur Verr. V, §. 128. — II, 31, 77. illim Lambinus edidit — sed incertum est ex codice vetusto, an ex coniectura; Vat. habet illinon, Gellius illi, codd. dett. illinc. Adverbium illim quanquam bis terve codicum optimorum auctoritate apud Ciceronem defenditur, tamen nescio an hoc loco ferri nequeat. Quis enim latine dixerit illinc aliquid abiicere? Suspicor scriptum fuisse antiquitus omnem se amorem abiecisse *illum* atque in hanc transfudisse; quae quidem suspicio nostra firmatur iis verbis, quae paullo ante leguntur: sibi cum *illa* mima posthoc nihil futurum; amorem illum intelligit mimae illius amorem — X, 8. 17 atquin Vat., atqui cett.; at nusquam praeterea apud Ciceronem legitur haec forma verbi, (de qua vide Lachm. ad Lucret. p. 168 Hand. Turs. I, p. 523) nisi in cod. Gud. Tusc. II, §. 43, ex quo eam in textum recipere recte dubitavit Seyffertus Praef. p. XIV.

XII, 1, 2. At qui consul! Si prudentiam quaerimus, qui minime falli posset: si virtutem. qui nullam pacem probaret nisi *concedente* atque victo. Sic edidit Halmius ex cod. Tegern.; nam Vaticanus h. l. deficit. Vulgo legitur Antonio concedente, quod firmatur codice Lagom. nr. 55; cedente habent Bamb. et Gud., concedenti Bern.; deest autem Antonio in his tribus codicibus, quod nomen in aliis ab eis additum est, qui ita demum ablativos concedente atque victo recte intelligi posse viderent; nam ablativos illos ita explicare, ut significent „si quis concedat atque victus sit" per linguae leges non licet. Quamobrem nisi vulgatam retinere placeat, praetulerim ex Bernensi dativum concedenti, quem ad subiectum indefinitum referre nihil prohibet. Si virtutem,

inquit, quaerimus, is est consul Pansa, qui nullam pacem probaret nisi concedenti atque victo datam = nisi si quis cederet atque victus esset. — Eodem codice auctore Halmius paulo ante §. 1 scripsit assentiebamini pro vulgata scriptura assentiamini, quam omnes praeterea codices recte, ni fallor, tuentur; nam quamvis indicativum imperfecti non prorsus improbaverim, tamen rei ac verborum ratio et coniunctivum modum et praesens tempus magis postulare videtur; indicativo praeteriti si uti voluisset Cicero, perfecto tempore, opinor, usus esset.

XIII, 12, 27. Sed hoc ei commune cum pluribus sui simillimis: illud tamen mirum, quod in hoc Planco proverbii loco dici solet, perire eum non posse, nisi ei crura fracta essent. Fracta sunt, et vivit. Hoc tamen, ut alia multa, Aquilae *referatur* acceptum. Cavillatur acerbe Cicero T. Plancum ut latronem atque hominem cruce dignum; nam crura latronibus, quo citius morerentur, frangi solebant. Plancum autem narrat XI, 6, 14. a praestantissimo cive, Aquila, Pollentia esse expulsum, et quidem crure fracto. Eundem tradit Dio ab Aquila aliquot proeliis esse victum, quo quidem alia multa, quae Plancum Aquilae accepta referre debere Cicero dicit, pertinere arbitror. Hinc autem referatur in referat mutandum esse coniicio; nam turbatum esse hoc loco a librariis altera quae in aliquot codicibus est scriptura fertur ostendit. Acceptum referre, quod proprie dicitur in rationum tabulis, ad alias res translatum et in bonam et in malam partem accipitur; cf. supra II, 5, 12. Consulatus meus frequentissimo senatui placuit, ut esset nemo, qui mihi non gratias ageret, qui mihi non vitam suam — *referret acceptam.* coll. II, 22, 55. Omnia denique, quae postea vidimus — quid autem mali non vidimus — si recte ratiocinabimur, uni *accepta referemus* Antonio. Hoc autem loco non dicendum erat unum illud, ut multa alia, Aquilae a nescio quo acceptum esse referendum, sed ab ipso T. Planco, qui utrumque, et crura fracta et vitam, Aquilae debebat. Sic recte procedit cavillatio Planci a Cicerone suscepta.

Subiiciam aliquot locos, in quibus interpunctione editionis Halmianae mutanda vera sententiarum ratio restituitur. Quo in genere mirum videri debet, quod Halmius Phil. II, §. 22 non recepit eam verborum distinctionem, quam Kramarczikius proposuit in programmate Muhlhusano anni MDCCCLV. p. 18; is enim sic verba distinguit: Quamquam de morte Clodii fuit quaestio non satis prudenter illa quidem constituta; — quid enim attinebat nova lege quaeri de eo, qui hominem occidisset, cum esset legibus quaestio constituta? — quaesitum est tamen. — Phil. V. §. 17 post vocabulum armatos interrogationis signum ponendum est, Phil. XI, §. 19 post comitia tollendum, item Phil. V. §. 4 post legatos ad *Antonium mittere* virgulaque collocanda*); nam haec ibi videtur esse sententiarum ratio: Cum consules designa-

*) Sic falso et ab Halmio et a me interrogationis signum est collocatum in libro Verrinarum V, 2, 5: Ubi? quando? qua ex parte? cum aut ratibus aut navibus conarentur accedere? Nam:

tos Hirtium et Pansam nondum haberetis, in senatu, qui XIII. Kal. Jan. habebatur, decrevistis, ut de praemiis militum et de honoribus imperatorum primo quoque tempore referretur. Nunc Kal. Jan. iam placet simul et praemia constituere eis, qui contra Antonium arma ceperint, et legatos ad Antonium mittere, quod quidem absurdum est et inter se contrarium, ita ut iam pudendum sit honestiora decreta esse legionum quam senatus, si quidem legiones decreverunt senatum defendere contra Antonium, senatus decernit legatos mittere ad Antonium. Tum denique adiungitur interrogatio: Utrum hoc est confirmare militum animos, an debilitare virtutem? quae quidem interrogatio inepta esset, nisi id, de quo fit interrogatio, tanquam certum aliquid poneretur, sed dubium esset atque incertum. —

Phil. XIII, §. 8. Halmius Orellii aliorumque distinctionem verissimam virgula post v. ornamenta deleta in deterius mutavit; nam ipsius Lepidi, fratris maiorumque commemorantur monumenta, ut apte ipse Lepidus a fratre maioribusque discernatur; sed nulla ratio inveniri potest, cur urbis ipsius ornamenta aliis opponantur. Sin vero ipsius non ad genitivum urbis referri voluit Halmius, sed ad Lepidum ipsum pertinere, tum pronomine nullo modo opus erat, quia urbis ornamenta, ut cetera quae praecedunt vocabula, omnia pariter ad Lepidum referuntur; ineptum autem est ipsius ad illa omnia vocabula pariter adiungere. Nec minus incommodum videtur chiasmi figura h. l. ita abuti, ut duplex sit oppositionis ratio inter urbis ornamenta et monumenta atque inter ipsius Lepidi et fratris maiorumque. — Huc adiungere placet duo ex Verrinarum libro quinto exempla, in quibus nostram distinctionem verborum ab Halmio servatam ac defensam non possum non improbare. Nam 27, 68. sic scripsit: Opus est ingens, magnificum regum ac tyrannorum, genitivosque adiectivorum loco esse positos statuit „ein Werk, wie es Könige und Tyrannen schaffen“; at tum regale dicendum erat. Rectius, opinor, verba ita explicabimus, ut significetur „opus a regibus ac tyrannis aedificatum“; itaque virgula post magnificum delenda. Quid enim attinebat regalem lautumiarum magnificentiam — quae quidem nulla erat — hoc loco praedicare? immo vero erat, id quod recte fecit ac commode Cicero, primum, a quibus sit ingens illud opus et magnificum excisum, dicendum, tum, ut postea fit, explicandum, quem in modum lautumiae sint excisae. Cf. §. 143: Carcer ille, qui est a crudelissimo *tyranno* Dionysio factus Syracusis, quae lautumiae vocantur. — Quo in loco si ipsi distinctionem a nobis olim propositam reiiciendam putamus, in altero illo, qui legitur §. 15, in sententia nostra ab Halmio impugnata firmiter persistendum arbitramur. Ac primum quidem ad ea, quae iam in editione Orelliana altera adscrip-

tria sunt interrogationis membra; quae autem iis adiuncta sunt verba cum aut ratibus aut navibus conarentur accedere, extra interrogationem sunt posita atque ad tria illa superiora accuratius definienda pariter pertinent. Itaque interrogationis signum post accedere est delendum.

simus exempla, unum addere placet, quod est in orat. II. de provv. conss. § 36: Adiungatur etiam illa via vendibilis Herculana multarum deliciarum et *magnae pecuniae*. Tum vero illud non perspicio, quod Halmius collocationem verborum non admittere nostram rationem dicit; nam genitivum qualitatis et praeponi et postponi posse substantivo suo constat, praeponi autem debere, ubi genitivi vis intendi oporteat, non minus constat. Hoc autem loco summa rei in magno pretio versatur, quo Eumenidae vilicus ille constitit; quod nisi ita fuisset, certe tantam pecuniae summam dominus ad eum redimendum non solvisset. Itaque distinctionem olim propositam constanter tuemur: Halicyensis Eumenidae, nobilis hominis et honesti, magnae pecuniae vilicus cum impulsu tuo insimulatus esset seqq.

Nachtrag

zu den: Standorten in und bei Soest wachsender Pflanzen

von **Karl Koppe**, Professor.

(Cfr. Programm von 1852.)

Hinter	Nro. 9.	Ranunculus Lingua. ♃. 7. 8. Zerstreut; Sümpfe vor dem Brüderthore	Fam. Ranunculaceen.
„	„ 107.	Malva Mauritiana (Abart der silvestris). ⊙. 7—9. Selten; bei Enkesen	„ Malvaceen.
„	„ 108.	Malva rotundifolia. ⊙. 6—9. Gemein; Wege, Schutt.	„ „
„	„ 156.	Colûtea arborescens (Blasenstrauch). ♄. 6. 7. Verwildert; am Grandweger Walle	„ Papilionaceen.
„	„ 190.	Fragaria elatior. ♃. 5. 6. Gemein; Hecken . .	„ Rosaceen.
„	„ 215.	Epilobium palustre. ♃. 7. 8. Zerstreut; Gräben	„ Onagrarien.
„	„ 305.	Stenactis annua (Feinstrahl). ♃. 6—8. Sehr selten; Eisenbahndamm nach Welver und Sassendorf .	„ Compositen.
„	„ 349.	Serratula tinctoria (Scharte). ♃. 7. 8. Sehr selten; Hiddingsen und Lendringsen	„ „
Vor	„ 425.	Lycium barbarum (Teufelszwirn). ♄. 6—8. Häufig; Hecken	„ Solaneen.
Hinter	„ 427.	Physalis Alkekengi (Judenkirsche). ♃. 6. 7. Selten; Hügel bei Müllingsen	„ „
„	„ 533.	Euphorbia Peplus. ⊙. 7—10. Gemein; Gemüsefelder	„ Euphorbiaceen.
„	„ 591.	Platanthêra chlorantha. ♃. 6. 7. Sehr selten; Gehölze bei Müllingsen	„ Orchideen.

Max Hoche.